



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 109. Gravis contentio in electione novi Episcopi Monasteriensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. Apostolicos, dein inter Camerae Pontificiæ Clericos adscriptus, vix elapsi triennio Episcopus Tricaricensis, & ab Alexandro VIII. utriusque, ut vocant, *Signaturæ Referendarius* renunciabatur. Inerant Ludovico virtutes admodum conspicuæ, vasta eruditio, solida pietas, innata clementia, immota æquitas, munificentia, humanitas, moderata liberalitas, benignitasque, & semper omnia in Apostolicam sedem tamque præclara merita, ut his suffragantibus ab eodem Pontifice inter Dignos Cardinales, applaudente Romanæ cooptaretur: Solidos sedecim annorum Purpuræ dignitatem insigni morum virtutæque integritate collustravit, tandem vero tam repentino morbo corripiebatur, ut morte præventus, quin Ecclesiæ Sacramentis muniri posset, die decima octava Augusti obiret annos natus quinquaginta. Reliquit multa, eaque profusus insignia sublimis ingenii sui monumenta, quæ inter manu scriptos Laurentii Codices asservantur.

## §. CIX.

*Gravis contentio in electione Episcopi  
Monasteriensis.*

*Theatr. Europ. tom. 17. pag. 653.* Interim defuncto Monasterii Westphaliæ Episcopo Friderico Christiano

Plettenberg, novi Præfulis electio ad Sæc. XVII.  
 diem vigesimam nonam Julii indiceba- A. C. 1706.  
 tur: Nullum non movit lapidem Co-  
 mes de Eck Cæsareus Administer, ut Kettl. Decad.  
 Canonorum suffragia Carolo Lotha- 5. p. 375.  
 ringiæ Duci Osnabrugensi Episcopo Gottfrid.  
 conciliaret: pariter eidem omne stu- Hist. cont.  
 dium in procurandis ceterorum votis l. 14. p. 653.  
 primo addixerat Franciscus Arnoldus  
 de Metternich Monasteriensis Ecclesiæ  
 Canonicus ac Paderbornensis Episcopus,  
 qui tamen cum in semetipsum plurimo-  
 rum suffragantium affectum, ardentem-  
 que eorum industriam animadverteret,  
 Carolum promovendi studium remisit:  
 Inde tanta inter Canonicos exorta est  
 dissensio, ut Carolus spe sua delusus  
 a summo Pontifice literas, quibus e-  
 lectio ad diem trigesimam Augusti dif-  
 ferretur, impetraret, ubi vero Cæsar  
 Metternichium excludi petebat, Belgii  
 fœderati Ordines, etsi suam prius ope-  
 ram in Caroli favorem Cæsari obtulis-  
 sent, suas partes pro Paderbornensi  
 Episcopo per Itterfonum suum Orato-  
 rem interponebant, ne Cæsaris partes  
 per Westphaliam nimium invalescerent.  
 Pro Metternichio etiam indies augeba-  
 tur suffragantium numerus, ea potissi-  
 mum ex caussa, quod Cæsarei Legatum  
 a Canonicis Romam missum Oeniponti  
 interceptissent; hac enim violentia ex-

Dd 2

acer-

Sæc. XVII. acerbati Canonorum potissimi Præfæ  
A. C. 1706. Regis opem implorarunt, qui etiam  
 datis die quinta Augusti literis Cæsari  
 exposuit, quod primo quidem ipsemet  
 Lotharingio favisset, cum vero pluri-  
 morum suffragia in Metternichium col-  
 limare cerneret, haud consultum ar-  
 bitraretur, ut hic ab electionis jure ex-  
 cluderetur: ipse etiam Paderbornensis  
 die undecima & vigesima quarta ejus-  
 dem Mensis literas ad Cæsarem dedit,  
 quibus exclusionis mandatum revocari  
 efflagitabat.

Hæc eligentium dissidia, ac præci-  
 pue Heterodoxorum se in electionis ne-  
 gotium ingerentium studia summum  
 Pontificem maximo affecerunt dolore.  
 quocirca die decima quarta Augusti  
 has ad Metternichium literas dedit:  
 „Quæ de dissidiis inter Capitulares Ec-  
 „clesiæ Monasteriensis exortis tum et  
 „literis a Fraternitate tua ad Nos da-  
 „tis postrema die Julii proxime præ-  
 „teriti, tum etiam aliunde percepimus  
 „magnam profecto animi molestiam No-  
 „bis attulerunt; cum novi ejusdem Ec-  
 „clesiæ Præfulis electionem pacifice  
 „ac concorditer peragi, maxime cupe-  
 „remus, idque ipsum de perspecta eo-  
 „rundem Capitularium pietate, ac  
 „prudencia, Nobis etiam polliceremur.  
 „Auxit præterea mærorem nostrum,  
 „quod

„quod audivimus, eo jam res deve- Sæc. XVII.  
 „nisse, ut plures Ecclesiasticæ modera- A. C. 1706.  
 „tionis obliti, nec satis spectata Episco-  
 „pali officii mole, nihil intentatum  
 „relinquant, ut Eligentium suffragia  
 „sibi concilient, & regendarum anima-  
 „rum arripiant onus, quod sancti Viri  
 „usque adeo exhorruerunt, ut vel fugæ  
 „se dederint, vel latebras quæsierint,  
 „vel etiam mortem ipsam ab eo, in cu-  
 „jus manu mors & vita est, enixe fla-  
 „gitaverint, ne illud accipere cogeren-  
 „tur, vel certe nunquam, nisi inviti,  
 „& pene vim passi illud acceperint.  
 „Porro dolorem nostrum longe etiam  
 „acerbiorem effecit, quod inter hæc  
 „Eligentium dissidia, & Eligendorum  
 „certamina, ejusmodi negotio ipsi e-  
 „tiam A catholici se ingesserint, profa-  
 „nasque manus ad Arcam Domini ex-  
 „tendere minime formidaverint. Nos  
 „certe pro Pastoralis officii nostri de-  
 „bito nihil omnino prætermitemus eo-  
 „rum, quæ Monasteriensis Ecclesiæ ju-  
 „ribus, libertati Electionis, ac impri-  
 „mis Catholicæ fidei rationibus oppor-  
 „tuna fore cognoverimus: certiores  
 „Te interim facientes, nihil Nos hac  
 „in re gessisse, quod vel existimatio-  
 „nem, dignitatemque tuam lædere, vel  
 „gratiis tibi alias a Nobis tributis de-  
 „rogare ullo pacto valeat. Quidquid  
 „enim

Sæc. XVII. „enim præstitimus, facile intelligi  
 A. C. 1706. „non alio collimare, nisi ut concors  
 „libera, atque Canonica Monasteriensis  
 „Episcopi Electio peragatur, neque am-  
 „bigimus, quin tu pro ea, qua præbe-  
 „tus es, eximia virtute, ac animi re-  
 „ligione, operam, studiaque tua in  
 „eundem finem collaturus sis. „

Nihilominus Monasteriensi Capitulum  
 injunctum, ut ab electione desisteret,  
 donec Cæsar cum summo Pontifice re-  
 composuisset. Interim Romæ utrius-  
 que Competitoris Patroni in suas partes  
 Papam pertrahere, certabant; præva-  
 luit tamen Caroli factio, quæ ulteriori  
 prorogationis diploma impetravit: cum  
 autem Metternichius jam antea Pon-  
 tificium eligibilitatis indultum obtinui-  
 set, eique adhærentes postremum pro-  
 rogatæ electionis diploma dolo extor-  
 tum, proin nullum fore crederent, elapsi  
 primæ prorogationis termino die trige-  
 sima Augusti futuræ electioni initium  
 fecere, consuetaque solemnitate Fran-  
 ciscum Arnoldum de Metternich con-  
 spirantibus in eum novemdecim sub-  
 fragiis in Episcopum Monasteriensem  
 elegere: Reclamabat vehementer Ca-  
 rolus Lotharingius unacum quatuor-  
 decim Canonicis eidem faventibus, ob-  
 strepebat etiam acrius Comes de Eck-  
 qui tamen eadem adhuc die catham  
 suffi-

suffocatus obiit: nec tamen inde ter-  
 ritus Cathedralis Ecclesiæ Decanus, die  
 trigesima Septembris cunctos Canoni-  
 cos ad electionis Aulam convocavit,  
 illosque, qui Metternichio suffragaban-  
 tur, loco excedere jussit, eo quod po-  
 stremum Pontificis diploma violassent,  
 proin ipsorum electio non modo nulla  
 foret, sed etiam ipsi jure suffragii ex-  
 cidissent: Insuperhabita horum oppo-  
 sitione Decanus ceterique tredecim Ca-  
 nonici Carolum Lotharingium in suum  
 Episcopum elegerunt, ac promulgarunt.  
 Ex gemina hac electione non modo  
 magna discordiarum moles inter Cano-  
 nicos exorta est, sed etiam potentissi-  
 mis Principibus alterutri parti patroci-  
 nantibus Pontifex ingentibus curarum  
 fluctibus jactabatur, ac præprimis die  
 octava Junii utriusque electione peni-  
 tus abrogata decrevit, ut interim Epi-  
 scopatus administratio Metternichio  
 committeretur ea lege, ut tam Epi-  
 scopus, quam Canonici illi, qui nul-  
 liter contra Pontificis mandatum  
 de proroganda Episcopi electione, illum  
 elegerunt, hanc culpam prius humili  
 retractatione emendarent, atque ita  
 Episcopus absterfa omni inobedienciæ  
 suspicione ad Monasteriensem Ecclesiam  
 auctoritate Pontificia transferretur:  
 Postquam igitur hi Canonici literas

Sæc. XVII.  
 A. C. 1706.

Dd 4                      uber-

Sæc. XVII.  
A. C. 1706.

uberimis sinceræ erga S. Sedem sub-  
jectionis significationibus refertas ad  
Papam dederant, ac insuper Cæsar  
Caroli Lotharingii causam remissis  
agere cæperat. Pontifex Metternichum  
ob insignes illius virtutes, factæque e-  
lectionis æquitatem tandem die decima  
tertia Decembris Monasteriensem Epi-  
scopum declaravit, & anno sequenti  
die octava Junii confirmavit, Car-  
olum autem Josephum Ignatium Lot-  
ringium ad Archiepiscopatum & Ele-  
ctoratum Trevirensis quarto post an-  
no transtulit.

Facta hac confirmatione Pontifex  
ad eundem Monasteriensem Episcopum  
die decima septima Junii hæc per-  
scripsit: „Ubi Fraternitatem tuam  
„signi Ecclesiæ Monasteriensi autho-  
„tate nostra præfecimus, quod contigit  
„die octava decurrentis mensis Junii  
„Nobis ipsis in Secreto nostro Confite-  
„rio, honoris gratia, proponentibus  
„commodum & utilitatem ipsius Eccle-  
„siæ ex una, ex alia vero parte præ-  
„stantes tuas virtutes præ oculis habu-  
„mus, & firmam in Domino spem con-  
„cepimus, Te cumulatis, & amplioribus  
„in dies perspectæ tuæ vigilantie  
„ac pietatis argumentis præclaro nostro  
„de Te judicio esse egregie respon-  
„sum; & sane non deerunt Tibi occa-  
„siones



„siones explicandi tuum Zelum pro de- Sæc. XVII.  
 „core Domus Dei, & pro indemonitate A. C. 1706.  
 „Jurium Ecclesiæ, proque integritate,  
 „atque incolumitate Catholicæ Religio-  
 „nis in istis partibus, cum addubitari  
 „merito possit, non levia damna ex diu-  
 „turna ejusdem Ecclesiæ vacatione  
 „contigisse, quibus quidem damnis re-  
 „parandis Te serio daturum esse ope-  
 „ram confidimus, cum Tibi satis com-  
 „pertum sit, præcipuas Pastoralis Sol-  
 „licitudinis partes esse, quod perierat,  
 „requirere, quod abjectum erat, redu-  
 „cere, & quod confractum fuerat, al-  
 „ligere. Cæterum quam libenter ex-  
 „ceperimus præclara tua officia, &  
 „uberis devotæ voluntatis, & grati  
 „animi significationes, quas pro collato  
 „tibi munere Nobis obtulisti, tum e-  
 „tiam actum improbationis tum tuo,  
 „tum Capitularium Monasteriensium  
 „nomine factum, circa ea, quæ in ne-  
 „gotio Electionis minus Canonice per-  
 „acta fuerant, fusius agnosces ex di-  
 „lecto Filio Theodoro Holter Officiali  
 „Paderbornensi ad Te reduce, qui ob  
 „singularem erga Te fidem, atque in-  
 „tegritatem, & ob sedulam operam  
 „hic in Urbe tuis negotiis impensam  
 „peculiarem sane commendationem  
 „promeretur. Ex diplomatibus autem  
 „nostris, quæ ab eodem excipies, in-  
 „telliges

Sæc. XVII. „telliges Nos petitionibus tuis, pol  
 A. C. 1706. „habita omni difficultate, quoad  
 „tentionem eorum, quæ obtinebat  
 „alacriter annuisse, nec imparem vo  
 „luntatis propensionem in Nobis de  
 „prehendisses favore ejus, quem ad  
 „geri postulabas canonicatu Monast  
 „riensi, quo potiebaris, nisi, Succ  
 „fore ejus loci jam dudum per Nos de  
 „signato, tuæ preces ad Nos perlat  
 „fuissent. „

Cum autem Pontifex diffidiis ex  
 electione subortis haud satis prospere  
 crederet, hinc eadem die præfatus  
 Episcopum, ut erga sibi adversantes  
 Canonicos sese benignum exhiberet  
 his verbis hortabatur: „Non est, cu  
 „Fraternitatem tuam multis hortemur  
 „ut satagat æquam, atque præclar  
 „erga omnes, ac singulos Capitulares  
 „Monasterienses voluntatem ostendere  
 „cum Te jam omnibus erga ipsos ing  
 „nitæ tibi comitatis partibus fecisse  
 „tis, imo luculenter respondisse  
 „certo habeamus. Verum, quia  
 „nedum in persolvendis humanitat  
 „officiis accuratum (quæ honesta  
 „tius, quam summa laus est) sed pl  
 „sedulum ab omnibus haberi cupimus  
 „in explendo præcipuo Pastoralis cha  
 „ritatis debito, tua maxime intere  
 „arbitramur, quod vere, & ex animo

„eos præfertim diligas, arctiusque Sæc. XVII.  
 „completearis, qui occasione antea A. C. 1706.  
 „vacationis Monasteriensis Ecclesiæ,  
 „cum negotium Electionis ageretur,  
 „sua studia, atque suffragia in alios po-  
 „tius, quam in Te direxerunt: ut om-  
 „nes intelligant, tibi gratiores extitisse,  
 „qui a Te remove, quam qui tibi  
 „imponere novum, ac forte gravius  
 „onus splendidioris infulæ curarunt.  
 „Nam si recte, & coram Deo res ex-  
 „pendatur, cum certum sit, plus exigi  
 „ab eo, qui plus accepit, sine multa  
 „formidine esse non possunt, qui in  
 „sublimioribus Ecclesiæ sedibus sunt  
 „constituti, & propterea majorem ra-  
 „tionem pro numero creditarum ovium  
 „supremo Pastori sunt aliquando reddi-  
 „turi. Quæ Nos certe in caussa nostra  
 „perpendentes libere profitemur (quan-  
 „tum tamen Nobis licet citra resisten-  
 „tiam Divinæ voluntati) multo præ-  
 „clarius de Nobis promerituros fuisse  
 „illos, si qui forte extitissent, qui hoc,  
 „quod perferimus, plenum curis, at-  
 „que periculis munus ab infirmitate  
 „nostra amoliri curassent, quam qui  
 „Nos ad subeundum onus, cui impares  
 „sumus, adegerunt. Æqui itaque,  
 „bonique consule, ut, quod Nos ipsi  
 „in sinceritate cordis nostri sentimus,  
 „Te quoque Nobiscum sentire cupia-  
 „mus;

Sæc. XVII

A. C. 1706

„mus; nam ad animi tui integritatem  
 „a qua adeo commendaris, imprimis  
 „pertinere arbitramur, ut, quo magis  
 „omnibus compertum sit, Te ab omni  
 „prorsus ambitu alienum fuisse, illi  
 „præ cæteris de tua charitate sibi per-  
 „rimum polliceantur, qui visi sunt  
 „gnitati tuæ minime omnium suffragari  
 „ut interim prætereamus pertinere ad  
 „eandem virtutem, ut tuæ Lenitatis  
 „& mansuetudinis exemplo subsideamus  
 „omnes animorum motus, si qui ad  
 „huc ibi æstuant, absterreantur autem  
 „a Consiliis suis, qui nimium in Te  
 „dium affectant, & avertantur statim  
 „rubescens, qui dicunt tibi *Euge, Euge*  
 „sed nostræ in Te confidentiæ ab-  
 „dantia quadam acti fufius fortasse  
 „quam oportuit, profecuti sumus  
 „quod Te jam ultro fecisse, & con-  
 „nenter facturum esse confidimus.

Pari etiam studio ad mutuam  
 „ceramque concordiam, ac deponenda  
 „odia Pontifex Canonicos admonuit, hinc  
 „ad eos perscribens: „Etsi censendum  
 „omnino sit, Viros, ut genere, & gra-  
 „du præstantes, ita prudentia, ac prou-  
 „tate præditos, quales Vos esse scimus  
 „probe intellecturos esse, quam deceat  
 „ac oporteat, ut Ecclesiastici corporis  
 „membra inter se sincera charitate iun-  
 „gantur, ac propterea ambigendum

„nullo modo sit, quin vigeat apud Vos Sæc. XVII.  
 „pristina animorum concordia, cui ni- A. C. 1706.  
 „hil detractum sit propter diversa stu-  
 „dia, quæ licet ab uno eodemque pro-  
 „posito consulendi bono Ecclesiæ pro-  
 „fecta, mentes tamen ac sententias  
 „veltras occasione anteaactæ vacationis  
 „istius Ecclesiæ in partes forte scide-  
 „runt; nihilominus paternæ nostræ  
 „erga Vos Benevolentia argumentum  
 „Vobis esse volumus sollicitudinem,  
 „quam gerimus, ut deleto prorsus quo-  
 „cunque inter Vos dissensionis vestigio,  
 „sitis vere unanimes, diligentes, & do-  
 „nantes invicem, ac demum ut am-  
 „buletis in domo Dei cum consensu.  
 „Qui enim tantum pro Vobis curæ su-  
 „scipimus, quantum Nos suscepisse  
 „nemo vestrum ignorat, ut in re non  
 „satis explicata multorum non tam di-  
 „gnitate, quam doctrina præstantium  
 „vota intercederent, deinde ut matura  
 „de hoc ipso negotio coram Nobis de-  
 „liberatio haberetur, ac ut demum a  
 „Nobis iudicium prodiret, quod non  
 „tam autoritate nostra niti, quam  
 „exemplis ab ipso Sacrorum Canonum  
 „fonte deductis inhærere dignosceretur,  
 „atque hæc omnia, ne insignis ista  
 „Ecclesia Pastoris solatio diutius desti-  
 „tueretur: jure quasi nostro a Vobis  
 „videmur exposcere, ut quando dedi-  
 „mus

Sæc. XVII. „mus Vobis singularis probitatis  
 A. C. 1706. „Zeli Antistitem, cujusmodi Venerabilem Fratrem Franciscum Arnoldum  
 „Episcopum vestrum esse confidimus  
 „Vos comprobanda potius filiali vestra  
 „observantia, quam de recolendis  
 „lis, quæ tranquillitatem vestram  
 „qualiter interturbarunt, cogitatis. Verum  
 „rum hæc magis, ut diximus, expectanda,  
 „ctanda, quam requirenda sunt a per  
 „specta vestra virtute, cum sperare  
 „sit Vos de custodienda, ac cumulanda  
 „invicem dilectione, & pace, quam  
 „esse scitis a Christo Domino Discipulis  
 „ac Sectatoribus suis relictam, fore  
 „licitos, tum ut divinus cultus in  
 „communi, ac concordii studio augetur,  
 „tur, tum ut congruis gratæ voluntatis  
 „tis argumentis respondeatis Patrum  
 „nostro erga vos amoris.

## §. CX.

*Nuntii Apostolici Coloniensis jurisdictione depressa.*

*Abregé de  
 l'Hist. Eccl.  
 t. 13. p. 588.*

Sub idem ferme tempus Thorensis Ecclesie Imperialis Abbatissa feudatarius quoddam esse liberatum declarabat, cum autem Feudatarius se graviter iniurie læsum reputaret, Julii Piazze Pontificii Nuntii Coloniensis opem implorabat: Hic igitur hanc causam, quæ